Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1228
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



121

Benediximus vobis in nomine domini. De profundis clamavi ad te domine. Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tue intendentes: in vocem deprecationis mee. Si iniquitates observaveris domine: domine quis sustinebit? Quia apud te propiciatio est. et propter legem tuam sustinui te domine. Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in domino. A custodia matutina usque ad noctem: speret israel in domino. Quia apud dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

Domine non est exaltatum cor meum. neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis: neque in mirabilibus tuis super me. Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatus super matre sua: ita retributio in anima mea. Speret israel in domino: